

17

I. N. D. O. M.
DISSERTATIO ACADEMICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
AN PHILANTHROPIA RECEN-
TIORI ÆVO DECREVERIT?

QUAM,
CONSENTIENTE SENATU PHILOSOPHICO
IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,
PRÆSIDE
MAG. JOHANNES BILMARK,
HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTIT
FRIDERICUS EHRENMALM,
NOBILIS,

IN AUDITORIO SUPERIORI
DIE XII APRILIS AN. R. S. MDCCLXXXVI,
H. A. M. C.

ABOË
TYPIS VIDUÆ REG. ACAD. TYPOGR. J. C. FRENCKEL,

E. H. W. Waller


S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
NOBILISSIMO AC GENEROSISSIMO,
DOMINO
SAMUELI EHRENMALM,
REGII DICASTERII ABOËNSIS CONSILIARIO,
PATRI INDULGENTISSIMO,

Teneram educationis meæ curam, quam TU, OPTIME PATER, gessisti, ceteraque, quibus me quotidie ornare pergis, beneficia animo repetenti meo, nihil mihi foret gratius, quam eadem dignis celebrare laudibus. Quominus autem & affectui & officio nunc obsequar meo, obstat ætas in tantum opus nondum matura. Pro ingentibus itaque tuis in me meritis suscipe, PATER OPTIME, venerationis cultum, quo TE ad extremum usque vitæ meæ halitum prosequar, in cujus pignus præsentem hanc meam dissertationem in sinum benevolentiaæ tuæ supplex depono, nunquam intermissurus ad Supremum Numen pro perenni TUA felicitate, quæ in Patriæ commodum ac Familiæ emolumentum vergit, vota nuncupare calidissima, ad cineres usque permanens

PATRIS INDULGENTISSIMI

filius obedientissimus

FRIDERICUS EHRENMALM.



§. I.

Mundum hunc non modo fenescere, viresque ipsi infitas decrementa fere continua pati, sed homines speciatim tam quoad corpus, quam quoad animæ facultates, deterioris nostra ætate, quam antiquissimis fuerint temporibus, esse conditionis, multis adeo est persuasum, ut contrariam foventes sententiam, non argumentis redarguendos, sed commiseratione potius ob suam inscitiam excipiendos esse, censeant. Quam suam defensuri opinionem, Historiam, illam temporum testem, in subsidium vocant, quæ & longævitatem Patrum Antediluvianorum, & insignem antiquissimorum quorundam hominum proceritatem ita proponit, ut paria utriusque exempla nunc frustra quærantur. Enimvero cum nullo adhuc certo constet indicio, corpora, in tribus naturæ regnis occurrentia, quædam fenescentis mundi præbere documenta; nec ulla subest ratio suspicandi, homines solos in hanc venisse fati servitutem. Sicut igitur fidem eorum, quæ de Macrobiis, itemque de magnis Virorum roboribus traduntur, non sollicitamus; ita ex Historiæ antiquæ & recentioris parallelismo edocemur, nullam fere inter homines per quatuor circiter millenaria re-

A

spe-

spectu vel ætatis vel corporum constitutionis anim-
 adversam esse discrepantiam, proindeque singularia
 exempla, quæ in contrarium solent adferri, non se-
 nescenti naturæ, sed perversæ imprimis educationi, es-
 se adscribenda. Id quod de animi pariter valet doti-
 bus; quas cum meliorem excolendi occasionem nos,
 quam majores nostri, habeamus; ex studio suam pro-
 movendi felicitatem, omnibus congenito, præsumen-
 dum, homines nostri ævi eadem in sui perfectionem
 ufuros potius, quam in virtutum præjudicium, adeo-
 que in suam perniciem, leviter abusuros. Sicut ita-
 que vetustati suas non denegamus adoras; ita præter
 fas & æquum foret, sistere sibi homines quosvis, a
 nostra remotissimos memoria, ut exempla egregiarum
 quarumvis virtutum, præcipue autem Philanthropiæ,
 seu Caritatis in alios homines conspicua; de suo autem
 seculo, tamquam vitiorum sordibus nimium corrupto,
 abjecte sentire: quæ inde elucescit iniquitas, quod ne-
 mo nostrum, in historia vel mediocriter versatus, ad
 conditionem majorum nostrorum, nedum antiquissi-
 morum mortalium, si optio daretur, vellet reverti.
 Ita omnino est: laudamus veteres, sed nostris utimur
 annis. Quum autem nimis prolixum foret, singula
 expendere argumenta, quibus senescentem mundum
 moralem probatum voluerunt nonnulli, strictim tan-
 tum eorum examinabimus præjudicium, qui Philan-
 thropiam recentiori ævo decrevisse, sibi aliisque per-
 suadent; sperantes, Benevolum Lectorem nos, exagi-
 tatae

tatæ humanitatis causam, pro juveniliū viriū modulo his acturos pagellis, favoris sui aura in arduo hocce stadio fore sublevaturum.

§. II.

In ipso dissertationis hujus limine haud præter rem quæri potest: Quî fiat, ut quum Deus O. M. homines ad felicitatis fruitionem creaverit, & hi etjam ad propositum hunc portum velis remisque contendere videantur, pauci tamen, votorum facti compotes, sint sua contenti sorte; plerisque de iniquitate & infelicitate sui temporis conquerentibus, omniaque in pejus quotidie ruere asseverantibus, majores autem suos, quo remotiores, eo feliciores celebrantibus. Indignationis hujus prima esse videtur causa, quod hominum plerique multo studio ac labore non veram felicitatem, sed speciosam hujus umbram consecuntur; qua obtenta, quum suis non satisfactum sit desideriis, culpam frustratæ spei in sua tempora conjiciunt omnem. Alii rursus, quorum numerus haud est exiguus, quum in eis, quæ ipsis quondam perplacuerunt, parem amplius non inveniunt oblectationem, naturam brevi temporis spatio insignem subiisse mutationem argutantur; non animadvertentes, quod generis humani conditionem ex corporis sui constitutione aestiment. Sic quum in pueritia, dum leviter omnia considerabant, inter veras virtutes & harum simula-

era distinguere vix solerent, nullisque fere distineren-
 tur curis, parentibus has pro illis gnauiter obeunti-
 bus, maturiori autem ætate sibi relictis, aliorum experi-
 ri fidem, nec non ingenii nervos in sui conserva-
 tionem probe intendere necesse haberent, in alium
 veluti mundum delapsi sibi videntur; in quo nec ho-
 minum actiones, nec harum motiva, nec priorum
 voluptatum objecta ipsis amplius placent. A particu-
 lari proinde ad universale hi argumentantur & nimis
 præpropere concludunt, macrocosmum, imprimis au-
 tem microcosmum, insigniter fuisse mutatum, integri-
 tatem præterea, benevolentiam ac familiaritatem, vir-
 tutes Patribus proprias, in suis desiderari æqualibus.
 Producent denique ex Historiæ penu exempla viro-
 rum, amplissima virtutum ac meritorum gloria illu-
 strium, quibus pares in effœta hac mundi senectute
 nusquam inveniri, graviter ingemiscunt. Citant igitur
 Aristidis abstinentiam ac justitiam, Cimonis libe-
 ralitatem, Reguli constantiam & plures alias in cælo
 morali stellas primæ magnitudinis. Enimvero cum
 excellentes Viri ita in Theatro Historico plerumque
 proponantur, ut eos non integros, sed ab ea, qua
 maxime valuerunt, parte intueri posteris detur, &
 propter ea commendentur facta, quæ admirationem
 præcipue cient, cæteris, quæ veræ Herois cujusvis
 imagini rite depingendæ non minus inservirent, silen-
 tii peplo involutis; proinde argumentum hocce Hi-
 storicum est nimis mancum, quam ut ex eodem ad præ-
 teriti

teriti ævi præstantiam & virtutum inter nos languorem tuto concludere liceat.

§. III.

Opinionem suam de Philanthropia, recentiori ævo decreſcente, argumento, omni exceptione majori, confirmaturi illius defenſores, afferunt prædictionem Salvatoris omniscii, quæ Matth. xxiv. 12. habetur: *Et quoniam multiplicabitur iniquitas, refrigescit multorum caritas.* Quamvis autem vaticinii hujus veritatem cernui, ceu par est, agnoscamus, quod scilicet ventura respiciat tempora; ex verbis tamen allatis colligere non licet, cujusnam temporis rationem habuerit Salvator, & proinde an prædictio isthæc vel pridem vel nunc sit impleta, an denique in posterum implenda: quum in citato capite loquatur de signis, tam excidium Hierosolymæ, quam extremum mundi judicium præcessuris. Docere nihilominus videtur contextus, prædictionem hanc, seculis, quibus inhumana prorsus ratione in primos sævitum fuit Christianos, si minus impletam, attamen ingravescere cœpisse, adeoque ad nostra solum tempora, tamquam ab omni Philanthropia, ceu prætenditur, aliena, non esse restringendam.

§. IV.

Ex alia adhuc parte insurgunt, qui pro decreſcente pugnant Philanthropia, sequenti se tuentes ar-

gumento: Quum pietas in Deum sit fundamentum virtutum, adeoque etiam Philanthropiæ; illa autem, prob! dolor, minus nunc, quam olim ferveat; fieri profecto aliter non potest, quam ut hæc etiam paucos, sicut sua mater, habeat cultores. Sed neque hoc argumentationis telo nostra cecidimus causa. Agnoscimus equidem, nullam sine pietate in Deum virtutem veri nominis dari; scire tamen vellemus, qua indubia, eademque generali, constet experientia, cultum Summi Numinis nunc frigidiorum esse, quam olim fuerit? Dicant forte, certissimum hujus indicium esse incrementum hominum malitiam; sed ita petitionem principii, ut Logici loqui amant, committunt, cum prævia constet Historia, donec homines, etiam vitia fuisset. Sed in rem præsentem veniamus. Cum pietas in Deum duabus constet partibus, vera Dei cognitione nec non talium actionum exercitio, quibus animum Creatori devotum declaramus, utroque hoc respectu nos majoribus præstare nunc ostendendum. Nemo igitur, nisi in ipso meridie plane cæcutiat, dissiteri potest, quin nos clariori, quam Majores nostri, veritatis cælestis luce fruamur, religione a superstitione ac scholasticæ barbariei laciniis, augustæ ejus purpuræ assutis, repurgata, ac proinde tam pietatis & caritatis nexum, quam utriusque in veram nostram felicitatem influxum melius perspiciamus; qua porro viva cognitione ad ambrosiam illam, quæ ex virtutum provenit exercitio, degustandam efficaciter

ter deducimur, adeoque nulla omnino est ratio præsumendi, vel pietatem in Deum, vel Philanthropiam, illi innexam, recentiori ævo in quandam abiisse defuetudinem. Id quod ex comparatione Historiæ antiquæ & recentioris plenius constabit. Quam sæpe ne veteres Judæi, parentibus suis, ut de aliis nihil dicamus hominibus, ea subtraxerunt vitæ subsidia, quibus afflictam levare potuissent sortem, præfracte contententes, hæc Deo vel verius templo esse destinata; ita facientes, quod Deus non mandaverat, contra ea negligentes, quæ Supremus hic Legislator in legē tam naturali, quam Sinaitica præceperat. Nec minus luxatum fuit cognationis vinculum, vigente adhuc per orbem Christianum Hierarchia Pontificia; quo tempore, omnes, qui in meliorem vitam post hanc introduci cuperent, partem bonorum suorum, sæpe præcipuam, Monasteriis, rectius otiosis Monachis, in fraudem ac præjudicium legitimorum heredum, elargiri tenebantur. Qualia inhumanitatis exempla, in honestis olim habita, qui nostra imitari vellet ætate, hunc, ut monstrum quoddam, diris omnibus cæteri devoverent. Veteres quidem multa, sed si veritatem fateri velimus, sæpe superflua; exstruxerunt templa; nos vicissim in eo elaboramus, ne increfcens civium multitudo quidquam desideret, quod cultui Dei publico rite peragendo inserviat; quantam itaque illi curam splendori ædificiorum, tantam nos felicitati hominum impendimus. Nec segnus nos, quam Ma-
jores,

jores, vel templa frequentamus, vel debita precum thūra ex devotis pectoribus Deo O. M. accendimus. Nulli quidem nostra ætate dantur, qui agnitam religionis veritatem suo obsignant sanguine; sed nec talia amplius inveniuntur generis humani monstra, quæ eundem ferociter sitiunt, horrendis persecutionum tempestatibus, quibus primi Christiani ad incitas fere fuerunt redacti, per Divinam gratiam nullibi nunc debacchantibus. Quæ forte concedens omnia, urgere tamen adhuc potest, quod innumera, quæ in publicam lucem nunc quotannis fere prodeunt scripta, atheismi, Deismi ac materialismi veneno infecta, sint totidem decrepantis pietatis indicia. Valeret omnino hæc argumentandi ratio, si ab eadem hac corruptionis labe immunia fuissent superiora secula; sed cum Ipse Salvator plurimum zizaniorum in triticeo suo inveniit agro, hi ingeniorum abortus non nostræ soli ætati sunt adscribendi. Sicut autem diffiteri non possumus, quin Auctores memoratorum scriptorum satis prodant contentum, quo Deum ac Religionem prosequuntur; ita vicissim docet experientia, quod a cordatoribus talia fastidiantur, vel ideo tantum legantur, ut censoria castigentur virgula; immo pleraque horum in spissis, quas promerentur, tenebris, situ & incuria squalent, aliis non tam offendiculo, quam suis auctoribus dedecori futura. De cætero quis, quæso, negare audeat, virus atheisticum barbaris seculis, per frequentem cum pravis hominibus conversationem
ma-

magis, quam nostro ævo per lectionem fuisse propagatum? Hæc autem, quæ a nobis hæcenus in medium fuerunt allata, non sunt ita accipienda, quasi existimemus, optimam nunc esse religionis in praxi conditionem; sufficit ostendisse, nec pietatem, nec hujus alumniam, Philanthropiam, nostro ævo aliquod passas fuisse deliquium.

§. V.

Injecta in §. antecedente Religionis mentione, paucis adhuc dispiciamus, quam diversa superioribus sæculis a nostro fuerit illius ad genus humanum relatio. Plerique Sacerdotum se olim non satis orthodoxos putarunt, nisi zelo ferverent, qui in fanaticismum abiret; quo factum, ut singulis, a se magis minusve dissentientibus, crimen hæreseos graviter objicerent, eosque vel vere vel falso suspectos tanto prosequerentur odio, quasi ab his ultimum religioni immineret exitium. Reformationem sacrorum, quæ, ex pruritu omnia sceptris suo subjiciendi pedo, nimium corruperant Pontifices Romani, hi ipsi agnoscebant esse necessariam; quoties autem quidam erectioris animi Viri tanto operi medicam afferre vellent manum, eos partim in egregio valide impediverunt proposito, partim ad rogam ob pietatis zelum damnatos, vivos lento comburi igne, nulla omnino habita vel æquitatis vel Philanthropiæ ratione, jusserunt. Quam multas

humanas victimas Inquisitionum Tribunalia sub specioso quidem Religionis Christianæ integritatem conservandi prætextu, re autem ipsa, ut Hierarchiam confirmarent Papalem, ac condemnatorum opes, quæ ipsorum commoverant bilem, nefario hocce modo sibi in solidum vindicarent, ex annalibus superiorum temporum non absque summo discimus horrore. Enimvero has aliasque propter Religionem olim excitatas calamitates vix unquam sentiunt nostri ævi homines, restituto demum Religioni, quod sperare vix ausi fuerant Majores, Philanthropico, sibi proprio, caractere. Quare Iconolatrarum & Iconoclastarum, ad internecionem usque in se sævientium pugnae in vetustis tantummodo occurrunt scriptis; nec nuptiarum Parisiensium eruentissima spectacula, ad quæ etiam e longinquo ipsa ingemiscit humanitas, ulla amplius videntur. Contra ea, de Portugallix Rege, JOSEPHO EMANUELE, haud ita pridem demortuo, legimus, quod cum circa regni sui auspicia diu multumque rogatus, a Catholicis sic dicto Actui fidei (*Auto-da-fe*) interfuisset, truculentissima hac scena pectus ejus, humanitatis plenum, adeo fuerit commotum, ut graviter sanciret, ne quis civium suorum in posterum ad tale raperetur supplicium, nisi ipse prius latam mortis sententiam confirmasset; atque ita cunctando sanguinolentorum tribunalium auctoritatem, quam propter superstitionem, patriæ suæ incumbentem, tollere non potuit, valide tamen repressit; satisfacti humanitati, quin

quin & innocentiae ita opportune subveniens. Non amplius audiuntur voces furiis infernalibus, quam hominibus digniores, quas Imperatoris FERDINANDI auribus insufurrabat Lojolitica cohors: *Utere jure Tuo, Cæsar, servosque Lutheri - - - Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.* Quin potius homines, diversæ licet Religionis, in eodem sub auspiciis Optimorum Principum, qui in civium conscientias nullam sibi arrogant potestatem, communiter nunc vivunt solo, tantumque abest, ut propter opinionum discrepantiam diras sibi imprecentur, ut potius communis Patriæ salutem unitis viribus ac consiliis promoveant, seque tamquam ex eodem cretos sanguine amice complectantur. Quam certa autem hæc sint incrementis Philanthropiæ documenta, non e longinquo quisque videt.

§. VI.

Duro necessitatis telo quamdiu ita premuntur homines, ut vitam inter extrema quævis quotidie trahant, fieri aliter non potest, quam ut ipsorum animi exasperentur, atque aliorum fugiant societatem, quos sibi invidere suspicantur pauca vitæ præsidia, quæ, pertinaci comparata labore, in suos seposuerunt usus. Contra ea autem dum dando & accipiendo locus est, alios quosvis, quorum opera in vitæ commoditate ac jucunditate nobis procuranda uti datur, multum æstimamus, nihil intermittentes, quo eos nobis reddamus

properfos & obftrictos, adeoque per innoxiam Phil-
 autiam ad majorem fenfim deducimur Philanthropi-
 am. Quantum itaque ad emolliendam naturalem ho-
 minum feritatem faciant commercia, & res loquitur
 ipfa, & plenius docet hiftoria. Totius Græciæ lumi-
 na olim fuerunt republicæ Athenienfis & Spartana:
 fed quarum cives difparis omnino indolis erant. Sic-
 ut enim Athenis commercia, ut tempora tunc erant,
 floruerunt, Lacedæmone autem nervi eorum incide-
 bantur; ita illæ Acropolis humanitatis, hæc autem
 morofitatis domicilium habebantur. Quocirca cum
 nationes, commerciis deditæ, olim effent oppido pau-
 cæ, cæteris gloriofum putantibus per prælia & ra-
 pinas ditescere, manfuetiores quævis virtutes non
 potuerunt non arête habitare. Aditu autem tam in
 Africam quam in utramque Indiam per maria pate-
 facto, obtentisque ex novis hisce terris ingentibus di-
 vitiiis, facies orbis Europæi admodum fuit mutata,
 priftina barbarie ad argenteos aureosque imbres ru-
 gas explicante fuas. Verum quidem eft, tum quod
 Pontifex Romanus NICOLAUS V, ex omnipotente
 fua liberalitate, Portugalliæ Regi ALPHONSO V, &
 hujus Patruo HENRICO, Principi ob rerum Mathema-
 ticarum peritiam valde celebri, horumque fuceffori-
 bus quicquid in Africa acquirere poffent, in perpe-
 tuam concefferit poffeffionem, tum etiam quod Ponti-
 fex ALEXANDER VI, omnes ad Americam pertinen-
 tes terras & infulas pro eo, quod in orbem fibi arro-
 ga-

gabatur, dominio Regi Hispaniarum, ejusque hereditibus & successoribus donaverit; Pontificum tamen horum bullæ impedire non potuerunt, quin aliæ Nationes, classibus valentes, in detectas sese intruderent terras atque spoliis onustæ opimis domum revertentur. Per auctam ita metallorum pretiosorum in Europa quantitatem increverunt rerum pretia ac laborum præmia; quibus factum, ut pecuniarum circulatio fieret & facilior & amplior, unde status tam æconomicus, quam moralis in meliorem fuit mutatus. Nunc igitur populi linguis, moribus & institutis diversi, regionesque, alio quasi sole calentes, inhabitantes sese respiciunt, ut membra magnæ illius societatis, quam in genere humano formando intendit Deus, & quam promota per orbem commercia speratæ utilitatis ac cognitionis magis, quam cognationis, vinculo continent.

§. VII.

Sicut in solo inculto vel nullæ vel raræ eademque horridæ & parum utiles proveniunt plantæ; ita etiam homines, naturali ruditate per artium culturam nondum deterfa, vel in pigritiam vel in ferociam propendent. Hoc præter alia comprobatur veterum Germanorum conditio, quam ita graphice depingit TACITUS: *Nec arare terram, aut exspectare annum tam facile persuaseris, quam vocare hostes & vulnera mereri.*

Pigrum, quin immo & iners videtur, sudore acquirere, quod possis sanguine parare (a). Quum itaque artes pleræque manuariæ, ex præjudicio antiquissimorum temporum, tamquam fordidæ atque ingenuo homine indignæ contemnerentur, nemo sane miretur, quod vitæ commodioris præfidiis, ab artium cultura petendis, homines tunc destituti, ætatem misere transegerint. Postquam autem perversam hanc eluctati sumus opinionem, artibus etiam quibusvis suis redditus est honos, sensimque increvit industria; quæ facit, ut dum res quævis ea, qua par est, sollertia tractentur, earum pretia increscant; quod eo usque valet, ut res ipsæ in humani generis utilitatem multiplicatæ videantur. Parum autem proficit industria, nisi in operibus perficiendis homines sibi invicem auxiliatrices præstent manus; evidens itaque est, quod cura melioris sortis, per industriam obtinendæ, producat animorum copulam, quæ Philanthropiam sensim promovet, quod ita factum esse affatim docet historia. Immo per industriam defectus etiam naturæ resarciri posse, vel suo Batavi comprobant exemplo, qui non solum Patriam sibi inter tumidos maris fluctus pararunt gratissimam, sed etiam effecerunt, ut in angusto territorio & laute vivant, arctissimo concordiæ & Philanthropiæ vinculo inter se conjuncti, & ex suo penu aliis Nationibus, quæ ad vitæ necessitatem ac cultum pertinent, gnaviter suppeditent.

(a) Vid.

(a) Vid. *Ejusd. Libr. de Moribus Germanorum Cap. XIV.*

§. VIII.

Ab industria provenit luxus, qui cum igne hoc habet commune, ut optimus, dum mediocris, pessimus, dum dominatur. Quod luxum multi aterrimo adumbraverint carbone, inde potissimum factum videtur, quod eum non satis cognoverint, cum vitiis, ad quorum similitudinem accedit, illum confundentes. Luxus autem consistit in copia rerum necessariarum atque jucundarum. Enimvero copia ista nec sponte sua nec gratis contingit hominibus; quare luxui deditus partim pecunia, partim variis officiorum generibus ea sibi comparabit, quæ suo conveniunt genio; unde commutatio quædam juris & obligationis existit, quæ emollit mores, nec finit esse feros. Quem quidem suam sortem meliorem reddendi modum cum veteres sibi parum perspectum haberent, vitam degerunt minus sociabilem: luxus autem deliciis allecti posteriorum temporum homines, e re sua esse duxerunt, necessitatibus aliorum subveniundo amplissimis suis satisfacere desideriis; qua ratione luxui incrementum haud exiguum debet Philanthropia.

§. IX.

Fingi vix potest status, naturæ humanæ magis contrarius, quam bellum; quo durante, altera Natio
vin-

vindictam injuriæ, sibi ab altera gente illatæ, gravissimo extorquere nititur modo; quare etiam sævitia in hostes eo usque non raro ingravescit, ut callus quasi humanis inducatur pectoribus; belligerantium quoque se tanto fortiores ac feliciores censente, quo amplio-rem stragem edere ac majorem suo adversario inferre potuerit noxam. Enimvero si antiquissimos annales cum hujus seculi Historia conferamus, liquido constabit, quod conditio mortalium intuitu calamitatum, a Bellona imminentium, olim fuerit multo deterior, quam nostro ævo. Et primo quidem quod ad bellorum causas attinet, de harum æquitate parum solliciti fuerunt veteres bellicosi Principes, qui si opibus ac copiis valerent, tam suæ dignitati, quam Patriæ gloriæ congruum putarunt, imperii sui pomœria prorogare, vicinas pariter ac longinquas Nationes in Martis aleam provocare, gratissimum censentes bra-beum, si nominis ac rerum gestarum fama orbem implerent. Nunc autem Principes sagum non induunt, nisi gravissima pressi fuerint necessitate, nimirum ut vel reparationem injuriæ, sibi temere illatæ, obtineant, vel exitium sibi imminens propulsent. Præterea vix ullus olim præterit annus, quo vicinæ gentes sese bello non lacefferent, frequentius campum Martis, quam Cereris arva colentes. Comprobat hoc formula, in sacris occurrens pandectis: *Quum annus jam esset adultus, quo Reges suas educere solent cohortes, 2. Sam. xi. i. & i. Chron. xx. i.* Ex Historia etiam
 Ro-

Romana discimus, Jani templum paucis tantummodo vicibus per plurimum seculorum feriem fuisse clausum. Sed haud opus est, ut remotissimorum temporum bel-landi ardorem citeamus, cum animo occurrat, spatio seculari, quod inter mortem Regis gl. m. GUSTAVI I An. 1560, & obitum Regis gl. m. CAROLI GUSTAVI, An. 1660 intercessit, vix integrum sexennium a bellorum tempestatibus fuisse vacuum. Id quod mirum obvenit nemini, perpendenti, quod bella inter compendiosos & ditescendi & inclarescendi modos olim fuerint habita. Veterum praeterea bellorum atrocitatem auxerunt ipsi conflictus, utpote qui & longioris olim morae, nempe in aliquot nonnumquam dies continuati, & simul magis exitiosi, cum acerrimi hostes, in eisdem fere vestigiis haerentes, mortem sibi inferrent; quare etiam in acie plura subinde centena militum millia prostrata jacuerunt, qualem messem non in campis tantummodo Catalaunicis, sed aliis quoque in locis collegit Libitina. Horret denique animus, dum cogitat, quod rabie, quae immanium belluarum ferocitatem ferme superat, in devictos populos olim saevitum fuerit; quocirca haud est opus, ut barbaras excitemus gentes, cum sacra nos doceat Historia, quod Israëlitarum Rex DAVIDES, inter pios Principes loco facile primo nominandus, devictos Ammonitas, propterea quod horum Rex HANUN legatos ejus contumeliose exceperat, non aliter ac truncos quosdam arborum tractaverit, quippe quos partim ferris disse-

dissecari, partim tribulis ferreis dilacerari, partim
 cuneis in viva adactis corpora diffindi, partim de-
 nique in fornaces laterarias injectos vivicomburio
 necari iussit, 2 Sam. XII. 31, & 1 Chron. XX. 3. Qua
 quidem in captivos truculentia factum est, ut hi, ne
 in potestatem hostium ferocissimorum venirent, fatum
 sæpissime præoccuparent, & more Saguntinorum,
 suum sibi struerent rogam. Nobis autem merito gra-
 tulamur, quod dira hæc bellorum scena perquam sit
 mutata, & humanitatis etiam rationem Mars habeat.
 Existunt quidem adhuc bellorum turbines, sed qui
 plerumque per breve tantum temporis spatium de-
 bacchantur; quibus longa grataque succedunt pacis
 halcyonia. Nec adeo proclive est, propter quamvis
 offensam aliam aggredi Nationem; cum opinione ci-
 tius coalescant confœderationes Principum in tute-
 lam populi, cui calamitas imminet, & qui in hujus
 salute suam rem agi existimant. His accedit, tum
 quod bella non amplius sine maximis gerantur im-
 pensis, quibus diu faciendis pauci omnino sunt pares,
 tum quod præmia victoriarum nunc, quam olim, sint
 incertiora, multiplici docente experientia, quod &
 vinci & vincere sit luctuosum. Porro, quum legio-
 nes jam manus raro conferant, sed præliorum exitus
 a tormentorum bellicorum tonitribus maxime depen-
 deat, ipsi conflictus vix ultra aliquot durant horas,
 nec strages adeo sunt numerosæ, vix ultra aliquot
 millia in acie succumbere, experientia docente. Ex-
 tra
 tra

tra acerrimum autem præliorum conflictum, hostes non amplius dubitant, quævis humanitatis officia sibi præstare, in victis æstimantes virtutem, fauciorum sollicitam agentes curam, & captivos hac conditione, fremente adhuc Marte, non raro dimittentes, ne contra se suosque socios in isto bello arma moveant. Mutatam vero, ceu vidimus, bellorum faciem esse luculentissimum Philanthropiæ, recentiori ævo incrementis, argumentum, cordatus quilibet fateatur necesse est.

§. X.

Quam parum olim valuerit Philanthropia, ex miserrima fervorum obnoxiorum conditione satis superque colligi potest. Fas fuerat, ut Philosophi causam afflictæ humanitatis in se suscepissent; qui vero, licet æqualitatem hominum naturalem non ignorarent, apud Principes tamen ambitiosos gratiam inituri contendebant, servos natura dari, atque hos ad secundum hominum genus esse referendos. Horret profecto animus, dum in memoriam nobis revocamus, quod juxta plurium gentium consuetudinem servi ex classe personarum in classem rerum conjicerentur, adeoque a Dominis suis possent vendi, permutari, oppignorari, noxæ dari, & impune male haberi, his jus vitæ ac necis in suos servos sibi & asserentibus & idem sæpe sine publica animadversione exercentibus; quam ob rem etiam rigidissimam hanc disciplinam certissimum



)

(



emortuæ socialitatis argumentum nonnulli putarunt. Quibus addendum, quod sicut servus nihil, ne quidem suum corpus habere censebatur, ita nec labore quantumvis pertinaci ac continuo sibi quidquam, quo asperitatem sortis suæ mitigare posset, acquirere potuerit; immo infra pecorum conditionem ita detrucebatur, ut curam, his ab hero impensam, desideraret, & animalibus quibusdam majus, quam mancipiis non raro statueretur pretium. Quæ singula facta satis comprobant, veteres plerasque gentes, ad aliorum hominum, non natura, sed fortuna tantummodo dissimilium sortem pectora gessisse pumice duriora. Postquam autem homines Philosophiæ magis excultæ, imprimis autem Christianæ Religioni sese poliendos tradiderunt, æqualitatem hominum tam Physicam, quam Moralem ex utroque hoc principio facile agnoverunt; quare etiam humanius sese & erga alios & erga suos servos gerere cœperunt, cujus consequens fuit, ut servitus obnoxia per Europæ imperia tantum non omnia sensim abrogaretur. Quid? Quod ex institutis maximorum Principum, qui nostrum exornant seculum, tuto colligimus, eos, qui servos etiam in suam admiserunt tutelam, effecturos, ut non alia, quam servitus mercenaria, dominis pariter ac servis proficua, in territoriis sibi subjectis locum habeat; quo ipso luculentissima promotæ Philanthropiæ relinquunt monumenta, illis longe perenniora, quæ per ingentes operum moles sibi parare annisi sunt veteres.

§. XI.

Mirum haud paucis obvenit, quò fiat, ut quamvis regiminis forma maneat eadem, civium tamen conditio sit alio alioque tempore perquam diversa; hi vero mirari desinerent, si perpenderent, quod civium felicitas non tam ab ipsa regiminis forma, quantumvis magna circumspectione composita, quam potius a summi imperii administratione, quæ pro diversa indole personarum, ad clavum imperi sedentium variat, dependeat. *Experientiæ enim consentanea est observatio Illustris MONTESQUIEU: Il pourra arriver, que la constitution sera libre, & que le Citoyen ne le sera point. Dans ce cas, la constitution sera libre de droit, non pas de fait; Le Citoyen sera libre de fait, & non pas de droit (a).* Quid, quæso, ab humanitate magis videtur alienum, quam imperium Despoticum? Attamen si Despota fuerit humanus, sub hujus auspiciis tranquillam ac commodam subditi degent vitam; dum contra sub Democratico regimine, quod propria libertatis fedes haberi solet, cives nihil magis, quam exoptatam sæpe desiderent felicitatem. Quod cum ita sit, absque adulationis crimine asserimus, multo majorem in administratione summi imperii passim & ubique nunc, quam olim, animadverti Philanthropiam: qua de re nos certiores facit Historia. Quisquis perpenderit Jus Regium, quod Propheta SAMUEL Israëlitis, Heroicum, quale sub Judicibus fuit, imperium dedi-

gnantibus, & ad aliarum gentium exemplum Regem sibi postulantis, proposuit, ut eos a proposito dehortaretur, & simul cogitaverit, quod in juris hujus articulis 1. Sam. VIII. II. seq. sistatur modus, quo olim exercitum fuerit imperium, fatebitur, hoc maxime iniquum, civiumque proinde sortem infelicissimam fuisse. Nec aliter expectandum erat, quum plerique Principes, etiam qui seculis a nostro non multum remotioribus, vixerunt, perverse instituerentur, & præjudiciorum cœno hærentes, crederent, se nihil plane suis debere civibus, hos durius habendos, ut in officio eo facilius contineri possent, scientiasque quasvis vix leviter esse degustandas, ne harum cultura animi eorum fierent molliores, nec arduis sufficerent negotiis. Præterea sicut bella olim fuerunt frequentia, ita regiminis formæ ad tenorem disciplinæ militaris olim plerumque administrabantur; quare non nisi rigorem a Principe expectabant, nec absque horrore in illius veniebant conspectum, a cujus arbitrio jus vitæ ac necis suæ dependere sciebant. Quæ omnia longe aliter se nostra habent ætate; Principes enim in disciplinis quibusvis utilibus tanta, quantum humana permittere videtur conditio, sollicitudine instituuntur; quare etiam in honoris culmine constituti non dedignantur esse Patres magnæ illius societatis, quæ in sinu benevolentia ipsoꝝ curam salutis suæ devotissime deposuit; potentiam suam non tam ex provinciarum amplitudine aut copiarum suarum numero, quam ex
feli-

feliciori, civibus suis procurata, forte æstimantes; & proinde a Majestatis suæ folio ad quemvis, qui ipsorum imploraverit opem, haud difficulter sese demittentes. Denique Reges olim, dum pecuniarum minor per orbem esset circulatio, feuda quædam civibus, de se & patria sua optime meritis concesserunt; hic autem liberalitatis modus, utpote felicitati publicæ parum conveniens, in multis nunc abrogatus est imperiis; quo ipso majus factum est inter cives, eidem potestati subjectos, æquilibrium, rarioresque sunt illæ aliquot civium eminentiorum in reliquos vexationes, quæ multarum olim inimicitiarum quin & rerum publicarum everisionum causæ fuerunt: qui status publicus, in meliorem mutatus, est indicium haud ambiguum Philanthropiæ feliciter incrementis.

(a) Vid. *L'Esprit des Loix Tom. II. Livr. XII. Ch. I.*

§. XII.

Perversum præterea modum veritatem in criminibus dubiis per equuleum aut alia tormentorum genera extorquendi tanto majori jure abrogarunt Principes nostræ ætatis philanthropici, quanto pluribus constaret documentis, quod reus, qui pertinaci esset animo & robusto gauderet corpore, adeo ut rigori tormentorum perferendo sufficeret, insens non raro declararetur, dum contra innocens, qui ob teneritatem

tem

tem animi & corporis mollitiem perferre non posset immeritos cruciatus, propter delicti confessionem, a se violenter extortam, ad ultimum condemnaretur supplicium. Quam multis olim magiæ crimen fuerit objectum & quam severis super hoc suspecti affligerentur pœnis, monumenta satis docent Historica; nunc autem inutilis est lex, quæ animadversionem in dictum continet flagitium, postquam didicimus, quod pleræque artes magicæ ad aniles referendæ sint nugas. Immo quod ad pœnas attinet capitales, rarius, & atrocitate tantum delictorum eas postulante, tales infliguntur, a quibus tamen longe abest Veterum inhumana ratio exquisitissimis cruciatibus condemnatum prius subjiciendi, quam decretorium exciperet ictum.

§. XIII.

In altissimis montium jugis Veteres Heroës sibi constituerunt tropæa, speciosa quidem fortitudinis ac partæ in bellorum discriminibus gloriæ monumenta, re autem ipsa hostium in acie prostratorum, adeoque fractæ humanitatis indicia. Ferocem vero hunc inclarescendi modum non fert ævi nostri mansuetudo, sed Principes opimis tantum nunc ovant spoliis, disjectæ barbariei atque superatæ calamitati detractis. Et si qui horum statuas sibi poni permetterent, harum basibus insculpta epigraphæ de eximia eorum testarentur Philanthropia, quam aliis aliisque declararunt infiti-

stitutis; ex quibus nonnulla tantum exempli loco nunc nominabimus. Civium suorum conservationi non solum invigilant, sed matrimonia etiam inter eos faciliora reddendo, eorum promovent incrementum; quare Magnus Borussiae Monarcha gloriari potest, cives suos, dum ipse sceptrum tenuit, in duplum auctos fuisse. Amplior etiam & melior succrescenti adolescentiae nunc, quam Patrum memoria factum est, datur occasio tam in litteris, quam in humanitatis studio proficiendi; pluribus institutis scholis, scientiis utilibus introductis, atque insignibus stipendiis, impigris disciplinarum cultoribus propositis. Militibus porro fractis atque invalidis, qui olim inter partas laureas tristem atque inopem trahebant senectutem, nunc ex munificentia Principum varia vitam sustentandi adminicula sunt parata, nec stipendia plane desiderant, quamvis eadem mereri nequeant. Praeterea in singulis fere provinciis asyla illis praebentur, quos morborum persequitur rabies, in quibus homines calamitosi liberaliter excipiuntur, & omnia quae tam quassatae sanitati recuperandae, quam victui, dum in illis commorantur, necessario inserviant, sine ulla suis consequuntur impensis. In Xenodochiis quoque & melior subministratur victus, & major mundities nec non accuratior, nunc, quam olim, cernitur administratio. Praecipue autem in Orphanotrophiis tot tantaque occurrunt Philanthropiae documenta, quot quantaque optare quidem, vix autem sperare veteres

res potuerunt. Inamo quod & miremur & imitemur, dantur regiones, in quibus nulli occurrunt mendici; qui etiam ubivis locorum erunt paucissimi, dum ignavia pulvinaria valide subducuntur, nec in ultimam hanc civium classem alii admittuntur, quam quibus membrorum usum vel morborum sævitia vel decrepitæ senectutis rigor denegarunt.

§. XIV.

Ex iis, quæ in medium modo fuerunt allata, nemo præsumat, quod Philantropia, ex nostra opinione, in solis Principum vel aliorum, in eminentiori honorum gradu constitutorum Virorum, palatiis sedem tantum invenerit, quum noto sint notius, quod in isthoc articulo ad Principum exemplum sese componat civium orbis. Munifici quidem fuerunt veteres; sed nec nos his sumus vel seigniores vel tenaciores, quoties homines deprehendimus a fortuna offensos. Comprobat enim multiplex experientia, quod vix gravior quempiam afflixerit casus, quam plures ad eum sublevandum & ingenii & rei gerendæ nervos conferant, plane ac si calamitatis sensus non singularis, sed communis esset. Multis etiam in locis, privatorum infortunis minuendis quasi e longinquo adornata nunc sunt publica adminicula; quælia majoribus fuerunt ignota. Dicat autem forte morosus quis Censor, hanc liberalitatem nomen veræ virtutis non mereri, quum multum

tum vanæ ostentationis eidem sit admixtum; sed præterquam quod quisque cum adversa colluctans fortuna non quærit, qualis sit Benefactoris sui animus, modo desideratam opportune invenerit opem, præsumtio etiam memorata sponte sua cadit, dum cogitamus, quod horum benefactorum plerique, sua se involventes virtute, atque sua sollicite reticentes nomina, non externam gloriam, sed internam animi satisfactionem quærant.

§. XV.

Animadversionibus hisce nostris addere denique licet, quod quamvis Juris Gentium in antiquis scriptis crebra fiat mentio, hoc tamen, quatenus concernit officia, quæ gens genti præstare debet, tunc temporis fuerit valde restrictum, vix ultra sese extendens quam ad ea, quæ in fœderibus utrinque fuerunt stipulata. Jus itaque Gentium, quod humanius dicitur, & quod præcipit, ut gens una alteri, in angustiis præter suam culpam constitutæ, opem ferat, veteribus & qua nomen & plerisque eorum qua rem ipsam fuit ignotum. Sed novus ab integro nascitur seclorum ordo; teste enim Historia tantum abest, ut gens una alterius gentis conservationem ac felicitatem, nisi gravissimam ab hac prius acceperit injuriam, promovere nunc dedignetur, aut per manifesta hujus dispendia quærat sua commoda, ut potius altera alteri, necessitatis telo pressæ, non solum ex fœdere, sed ex mera

ſæpe Philanthropia benigne ſuccurrat, ferme ad eum tenorem, quem obſervare ſolent perſonæ, ad eandem pertinentes familiam, diverſitate vel Religionis vel imperii nullam fere in tali caſu faciente differentiam; cujus rei quum plura afferri poſſent exempla, nos, brevitati ſtudentes, uno erimus contenti. Dum Portugallia, imprimis autem hujus metropolis Liſbona, graviffimo terræ motu An. 1755 ferme ſuppreſſa fuiſſet, Angli, adhortatione Regis ſui commoti, mox collegere ſummam centum mille librarum Sterlingicarum, ſeu ad noſtrum computandi modum, xxv tonnarum auri, inter incolas, quorum facultates maxime fuerant quaſatæ, distribuendam; quam Rex Britanniæ ex ſuo munifice adauxit ærario, pluribus inſimul navibus, quæ rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis erant onuſtæ, in Luſitaniam tunc miſſis. Quod ſi igitur factis, ad quorum tenorem de Philanthropiæ conditione erit judicandum, fides, uti par omnino eſt, habeatur, tuto concludere licet, eximiam hanc virtutem recentiori ævo non tantum non decreviſſe, ſed inſigniter potius promotam fuiſſe.

S. D. G.

